

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon.

Prieurés et dépendances des origines à 1300.

Tome premier., 71

In Christi nomine. Convenit inter Ingobertum et, ab alia parte, Frodinum prepositum, Agenbaldum, Vulfelmum ceterosque clericos monasterii sancti Benigni martiris, cuius corpus requiescit in loco qui dictus est ab antiquis Divion, ut aliquid de terris inter se commutarent. Dederunt igitur Frodinus et ceteri clerci, de suo beneficio de terra sancti Benigni, Ingoberto, ad suum proprium recipiendum, peciolam de terra que est sita in pago Oscarense, in fine Aziriacense, in ipsa villa Aziriaco; terminatur de ambobus lateribus, terra sancti Benigni; de una fronte, strada publica pergit; de alia vero fronte terra sancti Benigni de beneficio Mungonis; et abet in longum perticas agripennales LXII; et in latum, in una fronte, perticas agripennales V; in alia vero fronte, perticas II et dimidium: infra istas terminationes, totum ad integrum tradiderunt predicti fratres Ingoberto. E contra dedit Ingobertus peciolam de terra que est sita in ipso pago vel in ipsa fine; terminatur de ambobus lateribus Fuschildis tenet; de una fronte silva et Avena fluvius; de alia vero fronte, strada publica pergit; et abet in longum perticas agripennales CXII; et in latum, in una front, perticas II; in alia vero front, perticam I et pedales XII: infra istas terminationes vel perticationes, totum ad integrum tradidit Ingobertus Frodino preposito et aliis clericis. Et repromittunt inter se, par contra parem suum, de hoc quod accepit quod non repetat vel calumniam aliquam excitet: quod si fecerit, quantum terra ipsa eo tempore meliorata valuerit, tantum componat; fisco vero auri untias IIII persolvat. Et hoc precarium, inter eos factum, firmum permaneat, stipulacione subnixa. Actum Divion, in atrio sancti Benigni. Ego Frodinus, licet indignus, prepositus, hanc commutationem, a me factam, relegi et confirmavi, cum ceteris fratribus nostris. S. Agenbaldi, Vulfelmi, Altei, Teudfredi, Amonis, Vuarnierii, presbyterorum. Signum Eynus levita, Rotbertus, Ermembertus, Eldefredus, Airfredus, Amalbertus. Ego Airardus presbiter, in Dei nomine, scripsi et subscrispi, anno XXIII regnante domino nostro Karolo rege.